UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Enchiridion Piarvm Meditationvm In Omnes Dominicas, Sanctorvm Festa, Christi passionem, & cætera

**Busaeus, Johannes**

**Mogvntiæ, M. DCVI.**

6. De variis Dei beneficiis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-70978

Visual Library

# MEDITATIONES, DE BENEFICIIS DIVINIS.

## MEDITATIO I.

### *De beneficio creationis.*

CONSIDERA, opus ipſum, quid ab æterno vſque ad diem conceptionis tuæ in vtero matris fueris, nempe purum puruméque. Nihil, quod qualibet creatura etiam minima & viliſſima vilius eſt. Secundo, cum nihil eſſes, & nihil referret te eſſe aut non eſſe. DEVM ex mero amore tui te creaſſe, & totum tibi dediſſe, quod es. 3. cum Deus potuerit te aliud facere quam hominem, vt beſtiam, lapidem, vermiculum, feciſſe te creaturam rationalem, omnium aliarum corporalium Dominam.

4. hominem non ſtultum, cæcum, claudũ,
leproſum, ſed ſanis & integris membris,
ad imaginem & ſimilitudinẽ ſuam. Ad i-
maginem quidem, quia intellectu, volũ-
tate & memoria præditum. Ad ſimilitudi-
nem verò, quia omnium virtutum pul-
cherrimarum capacem quæ ſunt quidam
diuinæ naturæ quaſi characteres.

6. Conſidera, tuæ creationis finẽ, qui eſt
vt viciſſim Deum creatorem ex toto cor-
de, tota anima, & tota mente & omnibus
viribus tuis ames, quia totum te, quantus
quãtus es creauit. Si enim parentib. ſecũ-
dum Ariſtotelem, non poſſumus reddere
æquiualens, qui corpus genuerunt, quo-
modo poterimus Deo, qui totum homi-
nem cõdidit? 2. vt omni humilitate & pie-
tate Deo ſeruias, obſequendo eius, & ec-
cleſiæ ſponſæ ſuæ mandatis. 3. vt cũ be-
neficia præſtita, maximè autem [illegible]
perpetuo colas, laudes & glorifices. Si enim
in veteri teſtamento vix vllum beneficium
populo Iſraelitico contulit, quod ſingulis
voluerit anniuerſaria, & ſolemni recole-
re memoria; quid nõ exiget à nobis pro hoc
beneficio creationis immẽſo nobis præ-
ſtito, quo non ſolum ad imaginem ſuam
nos condidit, ſed animam immortalem

imperiis, vt immortalibus aliquando bo-
nis frueretur? Vnde rectè quidam ſanctus
concludit, hominem non toties reſpira-
re, quoties tenetur Dei ſui recordari. Sicut
enim ipſe ſemper eſt, ita debere Deo ſem-
per gratias agere pro immortali eſſe quod
ab eo accepit; & vt poſtquam dicta in hac
vita præſtiteris, tandem felicitatis æternę
cum Deo particeps efficiaris, quo nullum
maius bonum excogitari poteſt.

Conſidera, finem creationis aliarum 3.
creaturarum corporalium, qui eſt vt no-
bis ſeruiant & auxilio ſint ad conſequen-
dum finem noſtrum. Creauit n. Deus cœ-
los, ſolem, lunam & ſtellas ac elementa, vt
nobis ad diſtinctionem dierum & noctiũ
deſeruirent, vt ſuo influxu hæc inferiora p
noſtra neceſſitate afficerent. Deinde va-
ria animalium genera, alia ad ſubleuãdos
labores, alia ad præſtandum victum & a-
mictum, alia ad recreationem, & vſus
quotidianos. Similiter Deus alijs omni-
bus donis ſuis naturalibus, & ſupernatu-
ralib. nobis cõceſſis, vt ingenio, prudẽtię,
fortitudini corporis, ſanitati, doctrinæ,
diuitijs, honorib. &c. hunc finẽ præſtitu-
it, vt ſeruiant nobis ad ſalutẽ. Et ideo ſi nõ
ſeruiant, contraria potius nobis eſſe o-

ptanda & eligenda, vt ægritudinem potius quam ſanitatem, mortem quam longam vitam, paupertatem, quam diuitias, religioſam vitam potius, quam ſecularem.

## MEDITATIO II.

### *De beneficio conſeruationis.*

1. CONSIDERA Deum poſtquam te fecit, etiam conſeruare & gubernare. quod non eſt minus beneficium priore. Illud enim ſemel tantum tibi factum eſt; hoc autem ſemper repetitur. Quotidie enim Dominus quodammodo te creat, quia ſemper conſeruat, quem ſemel creauit. nec minor vel potentia, vel amor requiritur in vno, quam in altero. Si igitur multum illi debes, quia ſubito te creauit, plus debebis, quod iugiter te cōſeruet. Quotquot enim temporis momēta habuit, & habet, & habebit vita tua, tot partes ſunt iſtius beneficii, quia nec in vno illorum ſubſiſtere potuiſſes, ſi Deus oculos ſuos à te auertiſſet.

2. ConſideraDeum omnia alia bona mūdi condidiſſe, vt iuuarent ad tui conſeruationem & gubernationem, ac imprimis ange-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

angelos ipſos qui aſſiſtunt ſẽper ante fa- *Heb.* 1
ciem eius. *Omnes enim*, teſte B. Paulo, *ſũt*
*adminiſtratorii ſpiritus in miniſterium miſ-*
*ſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalu-*
*tis.* Idem dicendum eſt de omnibus aliis
creaturis corporeis totius mundi, quæ di-
riguntur à Deo in hunc finem, vt hominẽ
in ſuo eſſe conſeruent. cœlum cum plane-
tis, aer cũ auibus, mare & flumina cũ pi-
ſcibus, terra cum beſtiis, fructibus, flori-
bus, coloribus & odoribus, quod mira- *Pſal.* 8.
batur Propheta dicens. *Quid eſt homo Do-*
*mine, quod memor es eius: aut filius hominis,*
*quoniã viſitas eum? Gloria & honore corona-*
*ſti eum. & conſtituiſti eum ſuper opera manuũ*
*tuarũ. Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius; oues*
*& boues vniuerſas, inſuper & pecora campi.* 3.

Conſidera, ſicut omnia bona ſunt no-
ſtra beneficia, ſic etiam omnia mala eſſe
noſtra beneficia, quia ab illis Deus nos
cõſeruauit. Alios enim videmus affligi cal-
culo, alios podagra, alios lepra, alios epi-
lepſia, aliisve morbis. Mundus enim hic
nihil aliud eſt, quam infinitarum ærum-
narũ & laborũ pelagus: nec in ea vel vna
domus inuenitur, in qua nõ ſit aliqua ca-
lamitas. Itaq; ſi ab his liber & immunis ſis,
eſt q̃ Deo p̃ tãto beneficio gratias agas.

Cum

Cũ enim omnia mala, aut ex natura, aut culpa oriantur; & in te vtraq; cauſa adſit, cur non ſimiles in te exiſtunt effectus? quis malorum illorum diluuium impediuit, quo minus te obruerit, niſi diuina gratia & beneficentia?

## MEDITATIO III.

### *De beneficio Redemptionis.*

1. CONSIDERA à quo ſis redemptus, nempe à filio Dei tuo creatore & conſeruatore, qui humanam naturam aſſumere dignatus eſt, vt perfectiſſimo modo te redimeret à peccatis, & perpetua damnatione inferni, quam per peccatum merebaris. 2 conſidera quantum amorem in hac re erga te & omnes homines Deus demonſtrarit, nempe quantum maximum potuit. Nam cum non poſſet pro ſuis peccatis ſatisfacere vllus homo, ſi Deus nõ fieret homo, ipſe pro homine voluit fieri homo & quidẽ mortalis & paſſibilis, ac potius mori pro homine, quam vt periret homo. Non ſecus, ac magnus rex aliquis pro vilissimo mancipio, quod pro grauiſſimis ſceleribus nullo ſupplicij genere compe-

ſare poſſet partis lęſæ offenſam, vel ſeipſū
vel filium ſuum mactandum offerret. 2.

Conſidera, quo modo ſis redemptus,
nempe perfectiſſimo. Poterat enim Deus
ſola voluntate, verbo vel nutu, antequam
fieret homo, nos redimere, ſicut vno verbo
ho creauit Et factus homo poterat vna o-
ratione, vno gemitu, vna gutta ſanguinis
etiam in circūciſione ſua profuſa totum
genus humanum redimere, ſed voluit to-
tius ſanguinis effuſione, paſſioneq; omni-
um acerbiſſima, & ignominioſiſſima re-
dimere 2. Conſidera, tantam acerbitatem
fuiſſe vt ipſi in horto oranti cogitatio ſo-
la futurorum cruciatuum ſudore ſangui-
neum toto corpore expreſſerit Flagris ſic
conciſſus, colaphis cōtuſus ſputiſque op-
pletus eſt, vt videretur leproſus Manus
pedesq; clauis obtuſis confoſſi, caput ſpi-
narum aculeis per cranium transfixū. Et
ſuper hæc trabem crucis ipſe ſuis humeris
jam conuulneratis geſtare coactus eſt, ſed
ſupra vires, quia ſub onere corruit. 3. Con-
dera, quam ignominioſa fuerit tota paſ-
ſio. Primò enim à proprio diſcipulo pro-
ditus, deinde funibus & catenis per vias in
habitu alieno velut ſtultus pertractus, per
ludibrium tanquam rex adoratus, Barra-

bæ latroni poſthabitus, in medio latronum velut ſceleratiſſimus crucifixus, & in ipſa cruce variis conuitiis laceſſitus.

3. Conſidera, à quantis malis ſis redemptus. Primo enim redemptus es à peccatis, quorum tanta eſt grauitas, vt expiari non potuerint niſi ſanguine filii Dei. 2. à perpetua tyrannide & ſeruitute diaboli, cui per peccatum eras mancipatus. 3. ab igne æterno, diabolo & angelis eius parato. 2. Conſidera, quanta bona ex hac redemptione conſecuta ſint. Primo enim ex filio diaboli factus eſt filius Dei. 2. ex hærede æternæ damnationis, factus eſt hæres æterni regni. 3. factus eſt particeps gratiæ & amicitiæ diuinæ, omniumq; donorũ ſpiritualium. 4. vt, ſi in peccata vetera relabaris, iterum poſſis per pœnitentiam in gratiam reſtitui. 5. vt in gratia exiſtens merearis augere gratiam, & vitam æternam. 6. vt ſuſcipias fontem gratiæ, nempe in SS. Euchariſtia, ac etiam, (vt pro tot beneficiis à Deo acceptis dignum aliquid reddas) Patri cœleſti eundem offeras, quod fit in ſacrificio Miſſæ.

ME.

## MEDITATIO IV.

### *De beneficio Vocationis ad fidem Catholicam.*

CONSIDERA non prodeſſe nobis bene- 1.
ficium redemptionis, niſi ſubſequatur
beneficium vocationis ad veram fidem, &
iuſtificationem. Sicut enim emplaſtri
nullus eſt vſus, ſi non applicetur vulneri,
ſic nec paſſionis Christi in nobis vlla ſe-
quitur vtilitas, niſi per fidē & ſacramenta
fidei nobis applicetur. 2. Conſidera, ſine
peculiari ope & auxilio diuino neminem
vocari ad veram fidem. *Nemo poteſt venire* *Ioa. 6.*
*ad me*, inquit ipſe Chriſtus, *niſi pater meus*
*traxerit illum.* Sicut enim lapis natura ſua
ſemper cadit deorſum, nec poteſt tende-
re ſurſum niſi auxilio externo, ſic homo
propter peccati corruptelam ſemper in-
clinatur in amorē rerum terrenarū, nec
poteſt ad amorem cœleſtium mentem e-
rigere, niſi dextera excelſi adiutus.

Conſidera quot millia non dico homi- 2.
num, ſed nationum infidelium & hæreti-
corum ab initio mundi, & ante Chriſtum,
& poſt Chriſtum, ac etiam hoc ſeculo
iuſto DEI iudicio hanc neceſſariam
daſa-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ad ſalutem vocatione conſecuti non ſint, ac proinde perierint & pereant in infidelitate, vel hæreſi. Cogita, quid de te factum eſſet, ſi inter Ethnicos natus eſſes, ſi ligna & lapides adoraſſes. Deinde ſi hæreticos parentes, cognatos, patriam habuiſſes. Vide quantas gratias debeas Deo tuo, quod in tanta reproborum multitudine voluerit te inter domeſticos Eccleſiæ tuæ Catholicæ Romanæ naſci, lacte Apoſtolorũ nutriri, & ſanguine Chriſti inebriari. Quod voluerit te p. ſacrũ baptiſmũ renaſci, filium Dei, & vitæ æternæ heredẽ fieri.

Conſidera, quot millia Chriſtianorum ſint, qui per veram fidem in Chriſtum & baptiſmum à peccatis & damnatione æterna quidem ſunt liberati, & diuinæ gratiæ & amicitiæ reſtituti, ſed tamen poſtea vel in hæreſin, vel in grauia peccata relapſi ſint, ex quibus non emerſerunt: tu autem toties relapſus, & naufragium paſſus, arrepta pœnitentiæ tabula ad portum ſalutis redieris: quam patienter tecum ſæpe Deus egerit, quod vel grauia peccata committentem, vel diu in illis hærentem, & non dolentem, imo alios etiam ad illa ſolicitãtẽ ſuſtinuerit. Quod in medio peccatorũ multas ſæpe inſpirationes

pias ſuggeſſerit, & ad reſipiſcendum vocauerit eũ, qui nil aliud faciebat, quã quod vocantem offenderet. Quod deniq; clamore tam alto vocarit, vt non ſecus, quã Lazarum à morte ad vitam reuocarit, ac tanta gratia ornarit, vt etiam ſuaue ſit & iucundum à priſtinis peccatis abſtinere, & Deo ſeruire.

## MEDITATIO VI.

*De beneficiis peculiaribus, cuiq; propriis.*

CONSIDERA, ſi quæ peculiaria à Deo beneficia tibi tota vita tua cõtigerint, quæ non ſunt aliis, etiam Catholicis, inter quos vixiſti, communia, ſiue ſint naturæ ſiue fortunæ, ſiue gratiæ. Naturæ & fortunæ eſſe poſſunt hæc; Quod infans non ſis in vtero materno extinctus. Quod nõ ſis natus ex parẽtibus infamibus, illegitimis, hæreditario morbo infectis, corpore vitiatis, magis & veneficis, mendicis, latronibus, aliisque nebulonibus. Quod à parentibus piis ab infantia educatus, & ab iiſdem pædagogis magiſtriſq; catholicis ac probis traditus inſtruendus. Quod ſeueriora diſciplina domeſtica, & ſcholaſtica, fueris à ſocietate petulantiũ laſciuorum-

que puerorum, & à variis peccatis abſtra-
ctus.

4. Conſidera beneficia pa:ticularis gra-
tiæ, maximè poſt annos pueriles. Quod
tibi præceptores obtigerint docti & pii, q
ſimul veram pietatem Chriſtianam cum
litteris inſtillarint Quod occaſionem ha-
bueris multas cõciones & exhortationes
audiẽdi. Quod ad eas ſcholas, Achademi-
as, hominũq; pio:ũ ſodalitates peruene-
ris, in quibu^s frequẽs eſt vſus ſanctiſs. Sa-
cramentorũ Confcſſionis & Euchariſtiæ:
vbi multa præclara exempla veræ pietatis
publicè, priuatimq́, cernuntur Vbi vigent
exercitationes repetitionum quotidiana-
rum, diſputationũque priuatarũ, & pub-
licarum. Vbi nulla eſt iuuentutis vanitas
& diſſolutio, vbi ſumma erga præcepto-
res obedientia & reuerentia. Vbi deni-
que libere exercitationi omnium bono-
rum operum ipſique honeſtati ſine cuiuſ-
quam ludibrio & conuitio, quiſq; vacare
poteſt.

5. Conſidera alia beneficia magis arca-
na & occulta, tibique omnino propria,
vt ſi ſis à parẽtibus hæreticis natus, in hæ-
reſi ab hæreticis præceptoribus inſtru-
ctus, & tamẽ tandẽ mirabiliter ad vera͂ fi-
dem tra-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

dem traductus: ſi in ea perſtiteris, etiam
poſtquam à parentibus vel amicis es ex-
hæredatus, vel derelictus. Item, ſi à ſocie-
tate maiorum ſingulari gratia abſtractus.
Si ex ſordibus grauis alicuius peccati, in
quo diu hæſeris, emerſeris & à periculo
ſingulari, vel animi vel corporis liberatus,
ita naufragio, à morte poſt lethalia vul-
nera, à grauiſſima tentatione, v. g. ſe ne-
candi, vel ab aliis periculis tibi ignotis.
Quis enim ſcit, à quot tentationibus te
Deus pſeruarit, à quot occaſionibus pec-
candi? quoties laqueos inimici in via exi-
ſtēs ruperit, ne illis implicareris? Quare
ſicut pro occultis peccatis quotidie oras
cum propheta. *Ab occultis meis munda me* Pſ. 18.
*Domine*, ita & pro occultis iſtis beneficiis
debes gratias agere.

## MEDITATIO VII.

### *De beneficio æternæ Prædeſtinationis.*

CONSIDERA hoc beneficium non eſ- 1.
ſe commune, ſed peculiare, eorum
duntaxat, qui ab æterno à DEO ele-
cti ſunt ad vitam æternam, quod eſt o-
mnium beneficiorum maximū, & gratia

gratiarum, non ſolum qnia datur ante o-
mne meritum, ex ſola immenſa Dei bo-
nitate, ſed etiam quia cæterorum eſt fun-
damentum. Cum enim homo electus eſt,
ad vitam æternam, mox quoq; Deus, quæ
ad illam conſequendam requiruntur me-
Ro.8. dia impertitur. *Quos enim prædeſtinauit*, in-
quit Apoſtolus, *hos & vocauit, & iuſtifica-
uit*. Sicut enim Pater carnalis, qui filium
educat, vt aliquãdo Eccleſiaſticus fiat, cu-
rat vt a teneris annis litteris operam det,
& moribus Eccleſiaſticis aſſueſcat; ſic æ-
ternus Pater ſemel ad gloriam æternam
electos paterna ſua cura dirigit in viam iu-
ſtitiæ, donec ad finem deſtinatum perue-
niant.

2. Conſidera, etiam ſi hoc prædeſti-
nationis beneficiũ in hac vita nobis ma-
neat occultum, tamen ſigna quædã illius
haberi poſſe: inter quæ maximum eſt per-
ſeuerantia in vita pia & ſancta. Qui enim
multis annis in timore Domini vixit, atq;
omni ſtudio peccata mortalia fugit, pie
poteſt credere, quod, vti Apoſtolus loqui-
1. Cor. tur, confirmabit eũ Dominus vſque in fi-
1. nem ſine crimine in diem aduentus Do-
mini & quod vti incepit, ſic finiet. 2. con-
ſidera, neminem quidem de hac perſeue-
rantia

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

rantia poſſe eſſe ſecurũ, nam & Salomon, cum diu piè vixiſſet tandem defecit: tamẽ quia vna hyrundo non facit ver, & prouerbium eſt, *Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiã cum ſenuerit, non recedet ab ea*, humiliter de infinita DEI bonitate præſumi poteſt, quod qui ita perſeuerat, electorum numero ſit aſſcriptus, ſicut præſumit ſe ſaluandum: hoc enim illud præſupponit. Prou. 22.

3. CONSIDERA, quanti faciendum ſit hoc beneficium, ac proinde quãtæ gratiæ tibi pro eo ſint agendæ DEO opt. max. Primo enim nihil excellentius, vel ſublimius eſſe poteſt fine & ſcopo prædeſtinationis: eſt enim ipſe DEVS, vel æterna diuinæ viſionis, & omni voluntate pleniſſima fruitio, quod bonum eſt omnium maximum, quo maius deſiderari non poteſt. Deinde prædeſtinatio eſt antiquiſſima, quæ non incepit cum mũdi conſtitutione, ſed mũdo multo antiquior, imò ipſi DEO coæua: qui quemadmodum ab æterno eſt, ſic ab æterno dilexit ſuos, & te. Tertiò, quia eſt electio immutabilis: quod enim Deus ſemel voluit & decreuit, immutari nõ poteſt. *Ego* DEVS, inquit ipſe, apud prophetam *& non mutor*. Quartò, quod te cum paucis aliis inter tot centena millia homi-

num, qui ſæpe meliores fuerunt, dignatus ſit eligere, in numerum prædeſtinatorũ, idque ab omni æternitate; quod pectori diuino tui memoria inſculpta fuerit ante omnia ſecula, quod ꝓ filio Dei adoptiuo habitus ſis, & in ſplẽdoribus Sanctorum, cum Pater cœleſtis dixit filio naturali, *Ego hodie genui te.*

## MEDITATIO VIII.

### *De beneficio vocationis ad Religionem, quæ eſt pro Religioſis.*

1. CONSIDERA, ſi religioſus ſis, aut deſiderio ingrediendi religionem tenearis, hoc beneficiũ quoque eſſe peculiare & poſt diuinam prędeſtinationẽ omnium maximum, paucisque conceſſum, & ideo

Matt. 19. Chriſtus dicebat de illo, *Qui poteſt capere capiat.* Et *Si vis perfectus eſſe vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni ſequere me.* Religio enim eſt ſtatus perfectionis, non quod omnes perfecti eſſe debeant, qui eam ſuſcipiũt, ſed quod quotidie proficiendo per obſeruationem non ſolum præceptorum, ſed etiam conſiliorum diuinorum debeant ad vitę Chriſtianæ perfectiones tendere. Hæc eſt, demptomar-

pro martyrio anguſtiſſima porta & arctiſ- *Matt.*
ſima via quæ ducit ad vitam æternam, & *7.*
pauci ſunt, qui inueniunt eam. In hac, ſi
quis conuenienter ſuę regulę in vita pia &
ſancta perſeueret, probabiliſſimum argu-
mentũ habet ſe eſſe in numero prædeſti-
natorum.

2. Conſidera, cauſam cur hoc benefici-
um tanto ſit in pretio habendum. Vna
eſt quia in S. Scriptura ſola temporalium
facultatum in pauperes propter Chriſtũ
diſtributio, ampliſſimã habet promiſſio-
nem à Chriſto, vt quod magnũ theſaurũ *Matt.*
eiuſmodi habituri ſint in cœlo. deinde, ꝙ *19.*
centuplum in hoc ſeculo accipient quoad *Marc.*
domos agros, & fratres, & in futuro vitã *10.*
æternam. Quid ergo habebũt, qui præter-
ea ſe caſtrant propter regnum Dei, & vo-
luntatem ſuam, ac iudicium ſubiiciũt vo-
luntati hominis loco Dei, & hoc palam *Atha.*
ſolemni vel ſimplici profeſſione Deo, & *in vita*
omnibus Sanctis vouent vti faciũt omnes *S. An-*
veri religioſi: Altera eſt, quia S. Patres cõ- *ton.*
parant ingreſſum in religionem alteri ba- *Hier.*
ptiſmo, eo quod per illum homo, ſicut per *ep. 25.*
baptiſmum liberetur ab omnibus pecca- *Greg.*
torũ pœnis S. Gregorius addit, ſicut holo- *hom.*
cauſtũ excedit alia ſacrificia, ſic ingreſſum *20. in*

 reli- *Ezech.*

Bern. religionis, omne genus pœnitentiarũ vel
ſerm. ſatisfactionum etiam publicarum excede-
20. in re. B. Bernardus vero & Petrus Bleſenſis e-
Cent. iam comparant religioſam vitam, & la-
Bleſ. bores continenti martyrio.
ſerm. 8. Conſidera cur S. Patres his com-
3. parationibus ſint vſi. Prima cauſa eſt, S.
Thomę Aquinatis, quia paucis eleemoſy-
nis poteſt homo ſatisfacere pro pœnis
Da. 4. peccatorum, iuxta illud Danielis. *Peccata
tua eleemoſynis redime*, ergo multo magis
ſatisfacit, qui nõ ſolum omnia ſua dat pau-
peribus, ſed etiam ſeipſum tanquam ſeruũ
offert DEO & religioni, imò vouet ſe ni-
hil amplius propriũ poſſeſſurum. Secun-
da cauſa eſt, quia tota profeſſio veri reli-
gioſi conſiſtit in continua deportatione
crucis ſuæ hoc eſt, abnegatione proprii iu-
dicii & voluntatis, mortificatione ſen-
ſuum, paſſionum, omniumque cupidita-
tum prauarum carnis & mundi, ſecundum
Luc 9. illud. *Si quis vult venire poſt me abneget ſe-
Prou. metipſum, & tollat crucem ſuam quotidie*, &
16. hoc eſt ſpirituale martyrium. Vnde Sa-
piens dicit, *eum, qui dominatur animo ſuo
Epiſt. meliorem eſſe expugnatore vrbium*. Imò
123. Seneca philoſophus gentilis agnouit, *im-
perare ſibi maximum eſſe imperium*

## MEDITATIO IX.

*De nouem bonis religionis à S. Bernardo deſcriptis. hoc rythmo.*

### IN RELIGIONE

HOMO.

*Viuit purius, cadit rarius, ſurgit velocius, incedit cautius; quieſcit ſecurius, irroratur crebrius. purgatur citius, moritur confidentius: muneratur copioſius.*

CONſidera primum, cur VIVAT PVRIVS, nempe I. ob puritatem intentionis, quia omnia facit, ad Dei gloriam, & animę ſalutem, *Si oculus tuus fuerit ſimplex*, ait Chriſtus, *totum corpus tuum lucidum erit*, 2. ob puritatem à peccatis mortalibus, quæ ſola animam verè impuram faciunt, quia boni religioſi malunt mori, quam ſcienter peccare mortaliter. 3. ob puritatem mentis & corporis angelicam, quia promiſerunt DEO & religioni caſtitatem, II. Conſidera, cur CADAT RARIVS, nam, quia in ea rara vel nulla ſunt offendicula, vel lapides ſcādali, in quos impingat. 2. nulli laquei dæmonis. ratione opum, honorum, vel voluptatum I. Mat. 6.

 mundi,

1.Tim. 6. mundi, quas apperat *Qui enim volũt diuites fieri*, ait Apoſtolus, *incidunt in laqueum diaboli* Hic autem non ſolum non vult diues fieri, & magni haberi, ſed etiam paupertatem amat tanquam matrem, & cupit ab omnibus contemni; 3. quia econtra multa in ea ſunt adminicula Superiorũ, confeſſariorum, & Præfectorum ſpiritaliũ, à quibus ſuſtentetur, ne cadat III. Cõſidera, cur SVRGAT VELOCIVS. quia lapſus ei⁹ ordinariè nõ ſunt niſi veniales, qui multis modis expiari queũt, oratione Dominica, aqua benedicta, tunſione pectoris, confeſſione generali, gemitu, actu feruenti caritatis, &c. 2. quia à multis ſociis fratribus poteſt ſubleuari. Vnde dicitur

Eccl. 4. *Væ ſoli, quia non habet ſubleuantem ſe.* 3. quia angelica miniſteria in angelico iſto

Marc. 10. ſtatu ei ſunt propiora, & diuina præſtitu nomine *centupli in hac vita*, ſũt promiſſa.

4. Conſidera bonum quartum, cur INCEDAT CAVTIVS. nempe I. quia ſicut Deus nullum relinquit peccatũ impunitum, ſic religio omnes lapſus expiat per pœnitentiam 2. quia in religione in regulis omnes fere imperfectiones ꝓhibẽtur, in quos aliquis incidere poſſit. 3. quia omnes Superiores, æquales & inferiores habet ſua

bet ſuorum morum inſpectores & quaſi
obſeruatores, quibus cauet, vel minimam
dare occaſionē offendiculi. II cur QVIE-
SCAT SECVRIVS. nempe quia I expers
eſt omnis curæ rerum ad victum, vel ami-
ctum neceſſariarum. *Nemo militans Deo,* 2 Tim.
ait B. Paulus, *implicat ſe negotiis ſecularibus.* 2.
2. quia nullum bellum vel exiguū habet,
cum mundo, quē deſeruit, & carne, quam
per mortificationis virtutē crucifixit cum
vitiis & concupiſcentiis 3. quia ſumma
fruitur cōſciētiæ pace. *Secura mens,* ait Sa- Gal. 5.
piens, *quaſi iuge conuiuium* II. Conſidera, Prou.
bonum ſextum, cur IRRORETVR CRE- 15.
BRIVS. nēpe I. quia in quotidianis exerci-
tiis ſpiritualibus orationū meditationū,
ſacrificij Miſſę, & Cōmunionis ſępe parti-
ceps fit diuinarū inſpirationū, *Super quem* Iſ. vlt.
*requieſcet ſpiritus meus*, ait Dominus, *niſi*
*ſuper humilem & quietū, & contritum corde?*
2. cōſolationū cœleſtiū etiā in mediis af-
flictionib. vt ieiuniis, diſciplinis, ciliciis.
3. nouarū virtutū & donorū Spiritus ſācti.

CONSIDERA bonum ſeptimum, cur 3.
PVRGETVR CITIVS. nempe I. quia in
ea vſitatum eſt quotidianū examen con-
ſcientiæ tam particulare, quam genera-
le, in quo inquirit in ſingulos lapſus,
dolet,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

dolet & emendationem proponit. 2. quia crebro iteratur confeſſio ſacramentalis & poſt illam deuota communio. 3. quia item frequentes ſunt ſatisfactiones pro expiandis pœnis peccatorum, tum ſponte ſuſceptæ, tum à Superioribus, Confeſſariis, vel regula iniunctæ, quas ſi ſedulo ſeruet, purgatione opus non erit in altero ſeculo.

II. Conſidera cur MORIATVR CONFIDENTIVS, nempe 1. quia ſcit promiſſionem generalem, & ſpecialem eſſe infallibilem. Generalem, *Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.* Et ſpecialem. *Vade & vende omnia, & habebis theſaurum in cœlo.* 2. quia ſcit, prouerbium eſſe, qui bene vixit, & anguſtam viam tenuit, nō poſſe male mori, ſeculareſque ſolitos ſub mortem dicere. Vtinam in religione tali vel tali vixiſſem. 3. quia, vt ſuperſint adhuc aliquæ imperfectionum reliquiæ expiandæ nouit ſe habere in extrema hora ex priuilegio Ordinis indulgentiā plenariam ac ante & poſt mortem communionem omnium ſui Ordinis precum & ſacrificiorum, aliorumq; operū bonorum. III. Conſidera, cur REMVNERETVR COPIOSIVS, nempe 1. quia qui relictis omnibus ſecuti ſunt Chriſtum ſedebunt ſuper ſedes

Matt. 10. & 19.

Matt. 19.

duodecim iudicantes, & centuplum accipient in hac vita, & in futuro vitam æter- *Marc.*
nam. Centuplum accipiunt, quia pro Pa- 10.
tre vno relicto, in religione plures ſpiritales patres, pro fratre plures fratres, pro vna domo plura collegia vel cænobia. 2. quia,
teſte Apoſtolo. *Deus reddet unicuique ſe-* Ro. 2.
*cundum opera ſua. Et qui ſeminauerit in be-* 2 Cor.
*nedictionibus, de benedictionibus & metet.* at 9.
religioſus quotidie vacat operibus vel religionis orādo & laudando Deum, vel humilitatis, vel miſericordiæ corporalibus, aut ſpiritualibus. Deinde quælibet eius opera etiam adiaphora vt dormire, comedere, ſtudere, ſunt meritoria, tum quia ſemper fere eſt in Dei gratia, tum quia omnia ad Dei gloriam refert, & facit ex obedientiæ virtute. 3. quia præter ea quæ omnibus beatis ſunt cõmunia, religioſis maximè competunt tres aureolæ, martyrum ſcilicet, Virginum & Doctorum, quæ ſunt accidentalia quædam præmia.

MEDI-